

662.6  
T53d





LIBRARY  
OF THE  
UNIVERSITY  
OF ILLINOIS

662.6  
T53d

NATURAL  
HISTORY

MAY 8 1951





DISSERTATIO PHYSICO-MEDICA  
DE  
CESPITE VSTILI,  
VULGO TURFA,  
SECTIO I. CHEMICA,

---

QVAM  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRAESIDE  
SALOMONE CONSTANTINO  
TITIO,

PHILOS. ET MEDIC. DOCTORE, PATHOL. ET CHIRVRG. PROF. PVBL.  
ORD. VICAR. SOCIET. OECON. LIPSIENS. SODALI, H. T. ORDIN.  
MED. DECANO,

PRO GRADV DOCTORIS IN MEDICINA ET CHIRVRGIA,

D. 21. FEBRVARII 1794.

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET

GABRIEL HOFMANN

NEU-GERSDORFIO-LYSATVS.  
MEDIC. CANDID.

---

WITTEBERGAE,  
LITERIS TZSCHIEDRICHII.

*Amicis donavit.*





662.6  
T53d

Nat. Hist.

SERENISSIMO PRINCIPI

DOMINO DOMINO

ALOYSIO IOSEPHO

SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI RECTORI

DOMVS

DE LICHTENSTEIN ET NICOLSBVRG

DVCI TROPPIAVIAE ET IAEGERNDORFII SILESIACI, COMITI RITT-  
BERGAE, EQVITI VELLERIS AVREI, SACRAE ROMANAE CAESAREAE

MAIESTATIS A CONSILII INTIMIS ET CAMERARIO,

DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

SACRVM

157  
279657

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

OFFICE OF THE DEAN

5708 S. UNIVERSITY AVENUE

CHICAGO, ILLINOIS 60637

TEL: (773) 936-3300

FAX: (773) 936-3300

WWW.CHICAGOEDU

WWW.PHYSICS.UCHICAGO.EDU

UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS



PRINCEPS SERENISSIME,

DOMINE CLEMENTISSIME,

**M**agna ausus sum, quod NOMEN TVVM, de patria quam meritissimum, libello huic proponere non dubitavi. At singularis TVA CLEMENTIA, qua omnibus TVIS subditis, quousque in eos Regimen tenes splendidissimum, Patrem TE exhibuisti, nec


non

non Patrocinium, quo Litteris, bonisque artibus fama teste, maxime coniunctus es, mihi pignus est certissimum, fore, ut audax hoc propositum, pium deuotumque TIBI publice declarandi animum, abs TVA hac insigni CLEMENTIA instam nacturum sit excusationem. Me vero, ut hac TVA CLEMENTIA semper dignum reperiās, per omnem aetatem sum enixurus

TVAE ILLVSTRISSIMAE AC DVCALI  
CELSITVDINI,

deuotissimus

Gabriel Hofmannus.



§. I.

**T**erras quasdam, siue abrasā telluris superficie patentes, siue ex illius corpore profundius effossas, principio quodam inflammabili, ad ignem alendum maxime apto, praeditas esse, variis obseruatum est modis. Plures itaque, praesertim Germaniae, gentes, ab antiquissimo inde tempore eas ad ignis opera adhibuisse, testem excitamus fide dignum, PLINIVM (Hist. Nat. XVI, 1.) de septentrionalibus Hercynii saltus incolis narrantem, quod lutum manibus captum ventis magis, quam sole siccant, et terra cibos suos vrunt. Cuius loci HARDVINVS, grauiissimus PLINII interpret, vberiore[m] pandit notitiam, ostendens, bituminosas, nigrasque glebas hic intelligi, cespitesque vtilis, quos in segmenta quadrata sectos, sic apte disponere fossiles solent, vt vento perflante magis, quam sole siccentur. In regio.

regionibus Europae borealibus, cespitis vtilis vsus diu frequens, quod in nostris, ad meridiem vergentibus, lignorum copia abundantibus, secus fuit, et cum maxime est, vbi propemodum omnes a turfaram vstione deterrentur, mirum putantes, si quem illarum virtute adductum esse, aut alios adduci sentiunt. Postremis tamen seculis, vbi ligni maior caritas, Batauorum, Gallorum, Cattorum, aliorumque, qui effusa atque palustria loca habitant, populorum morem imitari consueuerimus, idem terrae genus in nostris anquirere agris studuimus foci et ignis alendi causa. Quod ipsum studium, propter ligni pretium, diebus nostris magis magisque auctum, summopere accensum est, vt incolae Saxoniae terram quoque vtilem, antea neglectam, ad vsum publicum, ad calcem de faxis parandam, ad lateres aequae ac salia culinaria coquenda, technicum magis, quam oeconomicum, adhiberent. Quae ipsa causa fuit, cur eandem, cuius analysis a paucioribus facta est, chemice inuestigarem, ac indigenae praesertim turfae partes constitutivas hic proponerem. E quo quidem labore, quem ad nostram adeo Wittebergensem turfam vel maxime accommodaui, hoc redundabit commodum, vt tum illius in igne et flamma concipienda potentiam accuratius finirem, tum eius ortum, compositionem varietatemque naturalem, tum eius in valetudinem, vel salutarem, vel noxiam, actionem propius diiudicarem, atque in tres adeo partes, *chemicam* priorem, *physicam* alteram, et postremam *oeconomico-medica*, scriptionem hanc diuiderem.

§. 2.

Antequam ad seriem experimentorum exponendam accedam, quaedam de loco cespitis nostri natali, de variis eius, quae experimentis subieci, speciebus, imo de communi, qua signari solet, appellatione, lubet dicere. Primo iuuat per saturam paucis referre, quod nomen rei, germanicum cum non haberet, apte impositum sit, quae formatio inuentoribus non male cessit. Namque nostro vocabulo *Turf*, *Turv*, *Torf*, vulgo vtimur ad cespitem vtilem designandum, quod scriptoribus quoque medii aevi latinis, nomen non habentibus, placuit. Horum

Horum de sententia turbarum nomine cespites hi veniunt, an ex etymologia, an vero, quod glebarum numerus nunquam non in multitudinem insignem, quam recte *turbam* dixeris, se extendat, dubium est, quamvis posterius videatur vero longe similis, et virorum doctorum, quos DU FRESNE (Glossar. ad script. med. et inf. lat. Tom. III. p. 1346. edit. Frf. 1710.) allegat, iudicio confirmetur. Is quidem vocabulo *Turba* monet, cespitem intelligi nigrum, qui e terra palustri et bituminosa eruitur, vicem carbonis sustinet, et turvam pro turba scribi, vnde Anglorum, Teutonumque *Turf* deriuetur. Habet idem *turbarias*, id est, locos et agros cespitibus fodiendis idoneos, quos iam A. 1181. 1228 in monumentis et chronicis vetustissimis allegatos esse, adeoque turvarum in re domestica usum, tunc temporis extitisse probat. Etiam decimae turbarum, in locis, vbi fabricantur, et effodiuntur, eo tempore visitatae fuerunt. Ex quo perspicitur, quam recte Ill. ADELVNGIVS, (*Wörterb. der hochdeutschen Mundart, Th. IV. p. 101.*) originem vocabuli huius a latinorum turba, tanquam multitudine et colluue, duci debere, arbitretur.

Quod ad agrum, in quo cespites nostri in praesens eruuntur, est ille amoenus arborum tractus, vulgari nomine, *die Specke*, insignitus. Huius ager palustris, aqua plerumque superfusus, vestigiis saepe cedens, totus quantus turbam et colluuiem vliginum praebet, vt vstiliam innumera glebarum quantitas quotannis inde educi possit. Praeterito anno feliciter euenit, vt Procères Nostri indulgentissimi, qui aerarii Principis sapientem gerunt curam, virum huc mitterent, de re oeconomica bene meritum, fodiendarum cespitum gnarum, qui alios ad idem opus arte instrueret et consiliis; vt praeterita aetate aliquot centena glebarum millia ex turbaria hac effossa fuerint. Superius illius stratum, crusta remota, ex terra vstili macra constat, glebas praebens aridas immixtis pluribus herbis, foliis, stramentis et mariscis; proxime sequens cespitem pinguiorem suppeditat, in quo animalium forte in sua principia solutorum partes, varia vegetantium stamina, nec satis soluta nec comminuta, miris permixta modis, continentur. Quod ulterius opus viges, eo magis pinguidos, vinctuososque, ad ignis fomitum, cespitesprehendis, nullos tamen, in quibus supersistentes vegetantium



tantium particulas desiderares. Ad quatuor siue quinque pedes postquam fodiendo peruentum est, stratum iners, arenosum, solidum, atque firmum, plurimam aquam venis suis excutiens, comparet. Iam ex nostris his turbis triplicem selegi speciem; aliam radicibus refertam plurimis; aliam nigram magis, firmam; tertiam terrestrem, albidiorum, multoque caeteris grauiorem. Harum prima, structura laxiori, leuissima quidem erat, pondere trium drachmarum cum sedecim granis, in pollice cubico rhenano; color nigrescens, interiectis particulis ex albedo fuscis. Secunda multo obscurior ex fusco atra, aut compacta magis, atque particulis nigerrimis, nec copiosis adeo ramulis intertexta, cultro optime secanda, paulloque grauior, vt pollex cubicus drachmas quatuor cum decem granis expleret. Tertia denique grauissima, quinque drachmas cum viginti granis in pollice cubico ponderans, radicibus paucissimis, colore albescente, lucidiore, massa satis tenaci, interiectis filicibus minimis, partibusque argillaceis. Singulas has species bene siccatas, per plures menses, ne humiditate pondus mutentur, in loco sicco asseruauit.

## §. 3.

*Turfae primi generis examen chemicum.*

*Exper. 1.* In crucibulo hassiaco duos pollices cubicos rhenanos, quod mensurae genus in sequentibus vbiuis locum obtinet, uncias 3, drachmas 2, grana 16, ponderantes, igne fati forti subegi. Massa laxius cohaerens, mox ignem cepit, emisit flammam, subsedit, et tribus exactis horis puluerem dedit subflauum, grauitate drachmarum 5 cum 28 granis. Oculo diligentius indaganti manifesta filicum granula se obtulerunt. Ad partes has constitutiuas certius eruendas, duplici vsu menstruo, aqua, et acido vitrioli.

*Exp. 2.* Dimidio huius pulueris, nempe drachmis 2, granis 44, in vitro aquam superfudi destillatam, per plures horas digessi, tandemque filtro depuraui. Nullam in lixiuio alcali liberi vestigium; sapore sal medium prodidit, subamarum; puluis grana 25 circiter amiserat.

rat. Residuum partim subtile, molle et terrae argillaceae finillimum, partim granula filicea, crassiora ostentat.

*Exp. 3.* Alteram partem dimidiam, acido vitrioli albo sine vlla efferuescentia iniectam, per quasdam horas digessi; solutionis huius, quae oriebatur, dilutae, exiguam partem, vt ferri deprehenderem praesentiam, lixiuio sanguinis tentavi, atque spe omnino non deceptus; reliquam alcali vegetabili soluto admiscui, et post insignem efferuescentiam, nubeculae prodierunt, colorem mox albidum omni fluido contrahentes. Praecipitatum album, filtro a lixiuio separatum, edulcoratum, atque exsiccatum, scrupulos 2 gravitate, reliquit; huius praecipitati terrestri nihil aqua, acido autem vitrioli totum quantum soluitur.

*Exp. 4.* Terrae filiceae ab acido vitrioli non omnino solutae drachmas 2, et grana 4, cum alcali fixi drachma 1, exacte mixtas, atque mortario agitatas, in crucibulo firmo igni fortiori, fuforio commisi, vbi post plures horas massa prodiit solida, compacta, subpellucida.

*Exp. 5.* Vt, quae calcinatione aufugerant, particulas accuratius cognoscerem, destillatione sicca dimidium pondus turfae *Exp. 1.* adhibitae, videlicet, vnciam 1, drachmas 5, grana 8, in retorta vitrea ope balnei arenae, igne destillatorio, excipulo exacte cum retorta iuncto, tentavi. Post vapores in excipulo conspicuos, mox fluidum aquosum comparuit, oleosaque pars tenuior, immo crassior subsequitur, quae tandem spissa collo excipuli omnis inhaesit.

*Exp. 6.* Inde collegi aquae acidae, qua tinctura heliotropii rubesceret, drachmas 2, grana 16; ex oleo vero subtiliori, flauo, cerae simili, odor alcali volatilis, per solutionem salis tartari aquosam, quassando elicitus, et syrupus violarum eodem viridis redditus est; reliqua olei pars crassior, nigra, tenax, verum empyreumaticum, oleo ligni sancti odore et reliquo habitu finillimum, constituit. Omnis pars oleosa gravitate drachmas 6, grana 8 efficit.

*Exp. 7.* Carbo residuus niger, similem odorem empyreumaticum emisit; pondere drachmas 4, grana 56 valuit, atque in crucibulo aperto calcinatus, ad drachm. 2, scrup. 2 fuit reductus, eundemque cinerem ac in *Exp. 1.* reliquit.

*Exp. 8.* Vt diuersa fluida aërea ope ignis ex hac turfa elicerem, eandem quantitatem, vnciam 1, drachm. 5, grana 8 apparatusu pneumatico-chemico eum in finem instructo, igni sufficienti subieci, donec retorta fictilis excandesceret. Post vapores albidos, spissos, aura elastica subito exiit, et volumine 122 pollicum cubicorum rhenan. colligebatur. Praecipua huius fluidi aërei pars ex inflammabilibus elementis constabat, quae flammam adnotam facile concipientes, totum, in quo collecta erant, vas repleuerunt. Praeterea quoque acidi aërei actio per tincturam heliotropii, et aquam calcis, alcalini vero aëris per syrupum violarum fuit detecta. Quemadmodum vero priores aerae pollices praecipue acido aëreo, ita posteriores inflammabili et alcalino aëre conspicui erant.

Neque tamen hac per viam siccam analysi contentus, quae quidem incerta et insufficiens est, per humidam quicquam experiendum duxi, quem in finem extracta aquosum, spirituosum, vinosum, spirituosum-acidum, parauit.

*Exp. 9.* Eandem turfae quantitatem, vt exp. 5. et 8, cum aquae destillatae sufficiente copia, decoxi, atque eousque aqua recenti coctionem perduxit, donec aqua nullo amplius colore tincta videretur. Omnia haec decocta in vnum transfusa, ad consistentiam syrupi inspissauit. Odor ille extractis familiaris, praecipue radici graminis, sub inspissatione emittebatur, ipsaque massa obscure flaua, sapore dulci, grato, praedita erat. Eidem per hanc extractionem aquosam drachm. 2, cum 4 granis, ex pristini ponderis imminutione, decessisse cognoui; tantundem quoque ipsum extractum exsiccatum, exceptis paucis granis, pendebat. Quae partes extractivae, cum pro natura plantarum atque radicum admistarum adeo differant, ulteriori examini haud subiecimur.

*Exp. 10.* Neque minori vi alterum menstruum, spirituosum, eidem turfae quantitati affusum, agebat. Post digestionem per plures dies, et donec vel recenter affusus spiritus nihil amplius insurgeret, continuatam, fluidum spirituosum obscurius tangebatur, et, vt ex residui pondere intellexi, drachm. 1, cum gr. 36, in se receperat. Idem extractum praeter partes resinosas, ope spiritus extricatas, etiam principii adstringentis aliqualem forpsit portionem; tinctura enim galla-

rum spirituosa hoc satis comprobavit. In decocto enim aquoso antea frustra detegere studuimus hoc principium, quippe quod per aquam aliis salinis nuptum fuerat principiis.

*Exp. 11.* Vinum fortius, cum gummofas, resinofas, quin salinas particulas recepisset, ex eadem turfae huius quantitate, ad drachm. 3, gran. 42. imbibit.

*Exp. 12.* Ad partes denique inflammabiles omnes, quae sub forma petrolei haud dubie in turfa nostra latent, eruendas, spiritui vini acidum iunxi vitriolicum, quo tinctura iam fiebat obscure fusca. Odo-rem haec sparsit empyreumaticum, et affuso sale tartari in aqua soluto, massa levis, rubra, fusca, successiue fundum petiit. Haec a lixiuio separata in filtro reliquit pigmentum, terrae aluminis externae simillimum. Haec terra, pondere dr. 1. gr. 37, et aestu fortiori ad gr. 18. fuit redacta. Ipsum quoque lixivium spirituoso-acidum, ope filtri a particulis terrestribus separatum, propter fuscum colorem partes resinofas quasdam spiritum vini retinuisse, manifestum fuit. Perdidit turfa hoc tentamine drachm. 2. scrup. 2.

§. 4.

*Turfae secundi generis analysis.*

*Exper. 1.* Eandem, quam in prima, quantitatem etiam in hac secunda specie, densiore, nigricante, tentaminibus subieci. Duos pollices cubicos, uncias 4, drachm. 1, uno cum scrupulo ponderantes, in crucibulo fictili, haefiaco, igne admodum forti torfi. Mox vase paullulum excandefacto, massa vehementi combussit flamma, quae integram superficiem obtegit. Post calcinationem diutius continua- tam, massa haec terrestris ad dimidium sui voluminis redigebatur, et igne sic continuante, atque post aliquot tempus cessante, residuum dimidium fere pondus perdidit. Uncias enim 2, drachmam 1, cum 4 granis, pulvis ille ex calcinatione superstes, terrestris, cinereus, granulis duriusculis refertus, effecit. Cuius quo melius intelligerem naturam, tres aequales partes feci, quarum aliam acido nitri, aliam acido vitrioli, aqua destillata tertiam examinaui.

*Exp. 2.* Tertiam ergo partem, drachinarum 5, cum 41 granis, acido nitri diluto inmisci, quo ipso pars aliqua cum insigni effervescentia, atque voluminis imminutione soluebatur: solutionis ergo huius naturam, ut accuratius cognoscerem, acidum vitrioli purum, dilutum, affudi, sine vlllo tamen decompositionis vestigio. Alcalini ergo quidquam hic latentis suspicio, aliis comprobata fuit experimentis. Quae restabat terra drachmas 3, cum 20 granis valebat.

*Exp. 3.* Alteram tertiam residui (*Exp. 1.*) partem, acido vitriolico albo submersi, similis suborta est effervescentia, et post saturationem, coctionemque pars quaedam, pondere drachm. 3, cum gran. 9, non soluta, remansit. Solutionis parti exiguae cum lixiuium sanguinis affundo, coerulestem colorem, certum martis indicium, statim prodire vidi; alia pars alcali vegetabilis affusione leniter effervescit, suboritur nubecula, absque sedimento sensibili.

*Exp. 4.* Vltimam denique residui (*Exp. 1.*) particulam, aqua destillata affusa, per aliquod tempus digestionem commisi; manifesta alcali liberi, syrupo violarum imprimis conspicui, exhibuit indicia; nullam tamen principii adstringentis per tincturam gallarum-mouit suspensionem. Restabant drachmae 3, grana 24.

*Exp. 5.* Omnia quae e triplici hoc experimento (*Exp. 2. 3. 4.*) supererant, satis antea edulcorata, in vnum collegi, atque tertiam totius massae partem, cum dimidia alcali fixi, depurati, parte, in crucibulo, igne fusorio tractavi, quo facta massa coalita, pellucida prodit.

*Exp. 6.* Ad partes volatiles plenius cognoscendas, dimidiam turfae huius quantitatem, quam antea (*exp. 1.*) adhibueram, vnc. 2. scrup. 2. per destillationem siccam, in retorta vitrea, sicutur exacte clausis, exploravi. Vapores primo albidi, aquae mox formam induentes, prodierunt, quos oleosa pars subfusca, oleo cerae simillima, excepit, atque in crassum, nigrum, tenax oleum abiit, donec omnis cessaret destillatio. Haec iam producta vltterius perscrutatus, sequentia obseruavi.

*Exp. 7.* Aquosa pars, drachm. 2, grana 5, pondere aequans, ab oleo subfusco innatante caute purgata, tincturam heliotropii manifeste rubram effecit; per sal tartari vero finita effervescentia alcali quod-



quoddam volatile extricari vidi. Quod ipsum ex oleo forte adhuc inhaerente deducendum esse, sequens suasit tentamen.

*Exp. 8.* Oleum tenuius, fuscum, odorem emisit pungentem, empyrevmaticum, alcali volatile inuoluebat, ut solutio salis tartari aquosa, quacum agitata fuerat, luculenter probauit. Pondus eiusdem, ut et crassioris, summe nauseosi, a quo vix prorsus purgari potuit, drachm. 5, cum granis 18 effecit.

*Exp. 9.* Carbo residuus, nigerrimus, odoris empyrevmatici nondum plane expers, unciam 1, drachm. 1, et grana 12, pondere habebat. Quem ut ab omnibus partibus inflammabilibus liberarem, in crucibulo denno calcinaui, quo ipso labore, ad unc. 1, gran. 26, in terram albidam, sine ullo martis, admoto magnete, indicio fuit redactus. In reliquis qualitatibus plane cum residuo in exp. 1. conuenit.

*Exp. 10.* Eandem portionem huius turfae, uncias nempe 2, scrupulos 2, retortae fictili firniori commissam, in apparatu pneumatico chemico tractaui. Post lenem vasis incallescenciam primo vapores albi, in vitreo conductore prodierunt, quos mox fluida aëriiformia largo exceperunt flumine, adeo ut illorum ad 135 pollices eubicos rhenanos lagenis vitreis colligerem. Manifesta haec dedit, mutatis tinctura heliotropii atque aqua calcis vituae, acidi indicia. In omnibus porro vasis excipientibus aëris inflammabilis quantitatem, flammae concipiendae aptam, immo aërem adeo alcalinum, syrupo violarum tingendo aptum, huic aurae elasticae inhaerere, deprehendi. Praeter haec aërum genera, quae vitris iam excepta erant, odor etiam spargebatur summe molestus, atque omnis aqua excipulis occludendis adhibita, massa oleosa, flavescente, ceracea tecta fuit. Pars in retorta residua, cum drachm. 7, grana 56 pondere aequaret, ultra dimidium igne periisse, intelligitur.

*Exp. 11.* Turfae huius eandem quantitatem, quam antecedente experimento sumseram, aqua destillata sufficienter et repetita vice affusa, eo usque decoxi, donec nihil amplius solui videretur. Perierunt drachmae 2, gr. 19, id, quod ex residui bene exsiccati pondere, cognoui. Decoctum saturate tinctum, nec alcali, nec acidi, nec adstringentis materiae principium examine prodidit. Mucilaginosas, atque  
dul-

dulces particulas ad inspissationem redactas, extracto graminis plane analogas, deprehendi, iisdem autem ad siccitatem exhalatis, idem, quod antea pondus, quibusdam granis exceptis, quae in vasis et colatorio forte perierant, recepi.

*Exp. 12.* Idem turfae pondus, spiritu vini rectificatissimo superiecto, per plures dies calore conueniente digessi; recentem denuo affundens spiritum vini, donec nihil amplius ipse fusciperet. Imbibit vero drachmam 1, gr. 56, quibus obscure tinctus essentiae saturationis formam praebuit, in qua cum principii cuiusdam adstringentis tenerem suspicionem, euentus eandem sustulit. Manifesto enim tinctura gallarum spirituosa solutionis colorem reddidit nigrum. Affusa aqua solutio haec spirituosa, turbida quidem facta, sedimento fere nullo.

*Exp. 13.* Residuum, quod spiritu vini non erat solutum, post calcinationem haud exiguum ponderis quantitatem amisit, vt praeter partes turfae resinosas, aliae adhuc, ad flammam alendam aptae, necessario requirantur.

*Exp. 14.* Ad quas quidem certius detegendas, quae forte petrolei forma inhaerent, eandem turfae quantitatem, ac in *Exp. 6.* 10, cum acido vitrioli albo, spiritu vini diluto, per plures horas digessi, vnde post percolationem solutio saturata atro-rubicunda, apparuit. Ipsa quasdam particulas terrestres fusciperat, vt alcali fixi solutione manifeste cognoui. Perierunt hoc tentaminae drachm. 2, scrup. 1.

*Exp. 15.* Extractum denique ope vini fortioris per digestionem continuatam paratum, ad drachm. 3 exceperat; solutionem reddidit fuscam, minus pellucidam.

## §. 5.

### *Turfae tertii generis analysis chemica.*

*Exper. 1.* Simili ratione, vt in experimentis modo enarratis, initium a calcinatione factum est. Duos pollices cubicos, vnciarum 5, drachm. 2, totidemque scrupulorum, in crucibulo fictili, gradu ignis successiue aucto, combussi. Quam parum haec ipsa species ignem prouehat, ex ineunte statim calcinatione peruidi. Vix enim flamma constan-

constanter superficiei corporis inhaesit, sed in eodem, per vices agitata, reuiuifcebat. Praeterlapso horae spatio, parum hinc subsedit, omnino potius terrestris, arenosa apparuit. Igne tribus post horis extincto, residuum vnciar. 3. drachm. 1. gran. 4. massam albam, terream, siliceam, superflitem reliquit. Quae cum maiori partium terrearum quantitate referta esset, vltiore eandem experientia tentare constitui.

*Exp. 2.* Vnam tertiam huius residui partem, pondere vnc. 1. cum granis 21, acido nitroso tenui immisi; quo efferuescentia, atque mutua partium actio sequebatur, menstruo tamen non adeo colore immutato. Ab acido vitriolico albo huic solutioni affuso, insignis coloris orta est immutatio, massa alba fundum petiit, quae selenitem ab acido vitrioli formatum dedit. Perierunt hoc tentamine drachm. 1, gr. 37, vt pondus residui probauit.

*Exp. 3.* Altera pars tertia eiusdem ponderis, acido vitrioli puro commissa, similia, ac prior, obtulit phaenomena. Modica in fluido commotio exsurgebat, post lenem solutionis huius dilutae, digestionem atque coctionem, fluidum separatum, drachm. 2, gr. 42 exceperat. Naturam huius massae solutae affusa alcali fixi solutio comprobauit, quippe cuius ope illa puluerem albidum praecipitem dedit, qui propter leuitatem ad aluminosam terram propius accessit, quam edulcoratus, siccatus, effecit. Lixiuuium sanguinis huic ipsi solutioni acidae affusum, egregie martis significauit praesentiam.

*Exp. 4.* Tertia denique residui (Exp. 1.) particula, post digestionem cum aqua destillata, lenem saporem, quasi terrestrem, vix notabilem fuscitauit; nec alcali, per reagentia consueta, indicia prodidit. In residuo bene exsiccato, magnetès nulla ferri exhibuit signa. Hinc etiam exigua periit portio, quae vix ad scrupulum accessit.

*Exp. 5.* Quae de tentamine (Exp. 2. 3.) restabat terra, vnc. 1, drachm. 4, gr. 23 crassa, siliceae habitu externo simillima, nouo subiecta examini. Diuidiam nempe eiusdem partem, cum alcali vegetabilis fixi aequali portione, igne fusorio diutius tractaui, sub quo labore tandem massa compacta, subpellucida prodit.

C

*Exp. 6.*

*Exp. 6.* Per destillationem siccam dimidiae quantitatis, nempe vnc. 2, drachm. 5, scrup. 1, quae eodem, quo antea, modo instituebatur, aquosa pars primum lente prodiit, igne deinde per gradus aucto, oleum empyreumaticum tenuius, mox crassius, largiori defluebat copia. Finito labore, aquosus latex, ponderi drachm. 2, gr. 52, oleum empyreumaticum tum tenuius, tum crassius drachm. 4, gr. 56, et carbo residuus, ex albo nigrescens, vnc. 1, drachm. 5, gr. 25, paria fuerunt.

*Exp. 7.* Corpora per destillationem producta, cum naturae illorum interioris indagandae causa, plurimis tentaminibus explorarem, successus idem plane, ut in prioribus fuit. Aquosa pars, tum acida, tum alcali volatilii praesentiam; oleosa minus tincta, maiorem tenuioris olei copiam exhibebat, odore cerae oleo simillimam. Ipse carbo

*Exp. 8.* instituta in crucibulo calcinatione, parum pondere perdidit, atque nunc vnc. 1, drachm. 4, gr. 25 pependit.

*Exp. 9.* Fluida porro aërea in hac turfae specie latentia, ut explorarem, eandem quantitatem ac *Exp. 6* apparatu pneumatico-chemico, in retorta fictili tractavi. Vase sensim calefacto, aër cum parvo vaporum alborum comitatu, prodiit. Huius fere 106 pollices cubici, lagena vitrea excepti sunt, qui praeter acidum aëreum, etiam inflammabilem aërem, sed nulla alcalini indicia continebant. Aqua per oleosas atque ceraceas particulas minus impura reddebatur, ipse autem odor non adeo foetus difflabatur. Massa post vasorum ignitionem superstes carbonis albidioris formam, nauseosi quidem odoris, minus tamen empyreumatici, contraxerat.

*Exp. 10.* Aqua exacte eum eadem huius turfae quantitate cocta, magis saturatum duxit colorem. Extractum inde subortum, prioribus simile, post colationem tamen, quiete in vase asservata, vitri latera, crusta terrestri, obtegit. Post inspissationem pondere valuit drachm. 1. gr. 26.

*Exp. 11.* Spiritus vini contra, parum in hanc speciem egit. Namque in digestionem diu detentus, spirituosum fluidum lucide tinctum, partium extractivarum parum, vix drachmam, suscepit, quin recens spiritus portio,

portio, facta commiffione, vix coloris quicquam fumfit. Affufa quoque aqua, parum turbatur folutio, atque albidam fubit formam, ex aliarum partium, per affinitatem admiftarum, praefentia deducendam.

*Exp. 12.* Miftio denique ex fpiritu vini alcoholifato et acido vi-  
trioli, in quam ad phlogifticas partes extrahendas idem pondus turfae  
huius immifi, tineta quidem, minus tamen, quam in reliquis specie-  
bus fuit, et per alcali vegetabile decompofita folutio, infigne dedit  
praecipitatum, pondere drachm. 1, gr. 38.

### §. 6.

Quae hucusque triplicis turfae indigenae tentamina egi, narra-  
vique, ea fatis demonftrant, turfas enumeratas, qua partium constitu-  
tuarum naturam, fibi fimiles, qua earum quantitate, admodum diffimi-  
les effe, et inaequales.

In *prima* fpecie, pondere leuiffima, fub aequali volumine, mi-  
nor particularum igne fixarum quantitas, et quarta quidem totius parte,  
continetur, quae maxime e terra filicea cum argillacea, exigua ferri,  
principii alcalini, adstringentis, mucilaginosi, faccharini, et falis me-  
dii fixioris, portione compofita eft. Volatiliores partes alcali volatile  
atque oleum tenuius, craffius referunt.

*Secunda* fpecies grauior fpecificae, volatiliores aequae ac fixiores  
particulas, aequali quali tenet pondere. Quamuis quidem partes igne  
conftantes, maiori eidem inhaereant portione, nihilo tamen minus  
virtute flammam alendi, priori haud cedit, quin eandem fuperat, cum  
ignem propter eandem olei in minori maffa copiam, fortius nutriat, atque  
calorem terreftribus particulis diutius coerfeat. Eaedem partes terre-  
ftres maiori ferri et alcali fixi quantitati hic coniunctae infunt.

*Tertia* denique fpecies, maxima partium terreftrium abundat quan-  
titate, fed materiae inflammabilis multo minus, vix quartam fui par-  
tem, continet. Namque terrae tum filiceae, tum calcareae, tum alu-  
minofae infignis copia; principii contra oleofi, alcalini, adstringen-  
tis, mucilaginosi, adeo exigua ineft pars, vt vix notatu digna videatur.



Habemus ergo, teste hac analysi, in qualibet turfatum recen-  
 sitarum specie, aërem fixum, inflammabilem, partes oleosas, petroleo-  
 similes, acidum, alcali vegetabile, terras aluminis, filiceam, calcaream,  
 ferrum, partes vegetabilium extractiuas, mucilaginosas, adstringentes,  
 principium resinofum. In quibus aliae necessariae sunt et essentiales,  
 nempe terra filicea et aluminis, petroleum, atque pars extractiua, vt  
 natura plantarum fert, diuersissima; aliae autem accidentales sunt, ex  
 loci natura admodum variantes, variis inter se mistae modis. In qua  
 quidem sententia, consentientes habeo alios viros doctos, qui domestica  
 turfatum genera, sibi examinanda sumserunt. Inter veteres, plures sola  
 destillatione contenti fuerunt, qua producta quidem, vix educta pro-  
 dirc vidisse, necesse est. Huc spectat DEGNERVS, (*Teutschlands neuent-  
 deckte Goldgrube, oder physisch-chymische Erörterung vom Torfe, cap. 12.*)  
 qui copiosus admodum fuit in enarrandis iis, quae sicca destillatione  
 prodierunt, quamuis alia tentamina non neglexerit; Auctor etiam  
 schediasmatis, qua quaestio discutitur, num Turfa commode, loco  
 ignis, ad cereuisiam adhiberi possit, (*Leipziger Sammlung von wirthschaftl.  
 policeyl. Sachen, B. 8. Leipz. 1752. p. 689 sq.*) Ex recentioribus vero  
 notandi HEINR. HAGEN (*Abhandlungen chemischen und physikalischen In-  
 halts, Königsb. 1778. p. 182. §. 21 seq.*) et ACHARDVS (*CRELL'S Anna-  
 len, 1786. B. 2. p. 391 sqq.*) qui tria turfatum genera, in Berolini vi-  
 ciniis effossa, chemica tractatione excussit, et in omnibus easdem par-  
 tes constituentes, proportionem diuersas, detexit. Vtraque tam humida,  
 quam sicca via, partes volatiles aequae ac fixas, expertus est, quarum  
 has, ad duodecimam solummodo partem redire, comperit.

## §. 7.

*Turfae Dresdensis examen chemicum.*

Nolui iam, turfae nostratis, Wittebergensis, cuius partes essen-  
 tiales eruere, inter se comparare, operamque meam cum aliorum  
 super turfis analysi, in quo argumento, quippe mere physico, disser-  
 tatio sequens versabitur, conferre deereui, examen de manibus dimit-  
 tere, quin simul de alio turfatum genere, quo in praesens Dresdensis  
 magno

magno cum rei domesticae fructu, vtuntur, pauca afferrem. In cuius significatione, quia de loco natali nihil quod afferam, habeo, mihi in externis notis describendis, subsistendum erit.

Colore haec turfa longe obscurior, quam Wittebergenfis est, quasi fusco-nigricans, compacta magis, firmior, magno lignosarum particularum congestu plena, variis hinc patens recessibus. Grauitate quidem secundae nostrae speciei admodum aequalis, cum pollex cubicus rhen. drachm. 4, gr. 14 pondere habeat. Examinis rationem eandem, quam in antecedentibus, secutus sum, primum via sicca, igne aperto, destillatione sicca, deinde et variis quoque vsus menstruis.

*Exper. 1.* Duos pollices cubicos, pondere vnc. 4. drachm. 1. gr. 52, in crucibulo fictili calcinaui, igne ad vasis excandescentiam aucto, flamma admodum conspicua, corporis volumine insigniter diminuto, combusti, quod tandem cinerem fusco-rubrum, leuem; drachm. 3, gr. 36 ponderantem, reliquit. Quo facto parum materiae superstes fuit, eaque quasi tota, igni alendo apta censetur.

*Exp. 2.* Cinerem hunc in tres partes diuisum, triplici tentauit modo. Primam tertiam partem drachm. 1, gr. 12 constituentem, aqua destillata primo digessi, dein coxi, vt partes, si quae inhaerent, salinas extraherem. Neque tamen et sapore et reagentibus quicquam alcalini expertus sum. Perdiderat cinis gr. 8 colore immutatus.

*Exp. 3.* Secunda pars tertia, postquam acido vitrioli puro nupserrat superfuso, leuis suborta efferuescentia est, et color menstrui immutatus, quasdam particulas hic deglutitas esse, aperte testabatur. Solutione salis tartari, parti huius lixiuii vitriolici affusa, post peractam efferuescentiam, leuis quaedam terra fundum petiit. Altera vero pars per sanguinis lixiuium, egregium coerulei Berolinensis colorem induit, manifesto martis signo. Qui haud solutus restabat puluis, nigrescens, gr. 24, pependit, quae maximam partem ferro, vt ipse color docuit, tribuendae sunt partes, cum aluminis terra, exiguum modo expleret pondus.

*Exp. 4.* Tertia denique pars, acido nitri quicquam diluto infusa, solutionem tinctam, flauo-viridem, praebuit, quae affuso vitrioli acido, terram albam in fundum demisit. Haec massa separata, edulcorata, verum constituit selenitem. Relictis gr. 32, pulueris subsusci.

*Exp. 5.* Quae ab acido vitrioli intacta relinquebatur pars, mere terrestris, in crucibulo, igne fusorio, cum sale tartari tractata, massam formauit duram, paullo pellucidam, vt et terrae siliceae in hac turfae specie probaretur praesentia.

*Exp. 6.* Dimidiam turfae huius, quae *Exp. 1.*, fuerat examinata, portionem, vnc. 2, gr. 56, destillationi siccae, eodem, quem in reliquis turfarum indigenarum speciebus, spectaueram sine, subieci. Vasorum coniuncturis exacte clausis, mox haud exigua aquae portio prodit, hanc oleum subtilius, tandemque nigrum, empyreumaticum, exceperunt.

*Exp. 7.* Aqua haec, ab oleo diligenter seiuncta, pondere drachm. 3, gr. 40, in examinibus acidam naturam praebuit, cum odor alcalinus oleo potius, quocum in excipulum transferat, tribuendus esset; oleum vero drachm. 6, gr. 7 ponderans, eiusdem naturae, ac antea descriptum, empyreumaticum, nigrius tamen, crassiusque fuit.

*Exp. 8.* Quae in retorta supererat portio, drachm. 7, gr. 4 valuit, splendidiorem retulit carbonem, volumine vix dimidiam turfam adhibitam, adaequantem. In igne calcinatorio plus quam dimidium perdidit, vt drachm. tres, cum paucis granulis ponderaret.

Cognita per tentamina modo enarrata, ratione, quam volatiles atque fixiores partes in hac turfae specie obtinent; menstrui triplicis efficaciam, accuratius indagavi.

*Exp. 9.* Quam *Exp. 6.* adhibueram turfae quantitatem, nunc aquae destillatae, sufficienti quantitate, diutius decoxi, colauit, et aqua recenti denuo affusa, repetita vice coxi, donec aqua non amplius colorem fumeret. Quod quidem decoctum, sapore acido, multum ab indigenarum turfarum decocto diuersum, maiorem principii acidi, adstringentis, prodidit quantitatem. Susceperat enim aqua ad drachm. 2, gran. 40.

*Exp. 10.* Essentia spiritiuosa, opè spiritus vini rectificatissimi parata, egregie tincta, haud insignem soluerat principii resinosi, atque principii adstringentis, partem. Per tincturam enim gallarum spirituosam, color vere niger obortus est. Hoc enim tentamine eadem turfae quantitas *Exper. 9.* adhibita ad drachm. 2, gr. 16 amiserat.

*Exp. 11.*

*Exp. 11.* Vinum denique, simili quantitati infusum, atque digestioni commissum, ad drachm. 4, gr. 45 soluerat.

Quae omnia experimenta, cum turfa Dresdensi suscepta, diversam eiusdem a turfis indigenis conditionem atque indolem, clare docent. Maxima ipsi inhaeret partium, igni nutriendo aptarum, quantitas; cinis flauo-rubicundus, qui restat, marti tribuendus est, cuius abundantiam deteximus. Acidum quoque principium hic praeualere, terrestrem vero basin, nostris indigenis simillimam esse, ex eodem deducimus fonte. Vltiorem vero huius turfae cum praecedentibus comparisonem, maioris in parte physica momenti, ad hanc ipsam, proxime emittendam, seruabimus.

---

## T H E S E S

A CL. RESPONDENTE ADIECTAE:

1.

**P**otuum calidorum abusus varios, eosque pertinaces, efficit morbos.

2.

Glandulae mesentericae infantum obstructae, rarissime pro induratis sunt habendae.

3.

Tempore hiemali ventriculus citius concoquere valet cibos, quam aestiuo.

4.

Vomitoria, opportuno tempore adhibita, in ictero magnos exserunt effectus,

5. Per

5.

Ver, temperatissimum est anni tempus, nec non saluberrimum.

6.

Sanguinis tenuitas a chylo intime misto ac resoluto dependet.

7.

Excessus potus magis, quam cibi nocet.

8.

Inter corporis integumenta atque intestina, intimum esse confensum, euictum est.

9.

Primus inflammationis gradus est spasmus.

10.

Ingens malum, si in magnis vulneribus non appareat tumor.

11.

Opium, vlceribus venereis praesertim siccis adhibitum, efficax esse medicamentum, censeo.

12.

Fomentationum frigidarum virtus in contusionibus eximia.



D. SALOMO CONSTANTINVS  
TITIVS,

ORDINIS MEDICORVM WITTEBERGENSIS

H. T.

DECANVS

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

A. D. 21. FEBRUARII 1794.

H. L. Q. C.

H A B E N D A M

INDICIT.

---

*De calculo salivali sponte excreto, observatio.*

**C**orporis animalis excretiones cum praecipue eo tendant, ut partes, vel machinae destructione, crebroque eius exercitio seiunctae, vel cibis quidem, nutritioni tamen haud utiliter sumtis, ex eodem eiiciantur; ipsis, siue humidae sint, siue solidae, ut ex naturae ordine utriusque respondeant fini, crudiora, terrestriaque principia admista esse oportet. Quarum quidem conditio eo manifestior, si vel morbo iam finito, vel eodem imminente, per varia colatoria tales eliminantur, quales aut morbum producant, aut ab eo ipsae producantur. Huiusmodi excretionum lue, topi, lapides, aliae in corpore animali concreta, praecipue iis in locis, ubi fluida excernenda colliguntur, parata excusaque videntur. Frequentissimi ex his sunt calculi, tum in urinariis viis geniti, ut renum, urethrae, vesicae, tum in bilis receptaculo conflati; rariores reliqui, quibus etiam salivales iure annumerabis. Quorum quidem, quamvis varia in observatorum medicorum, aequae ac chirurgorum, scriptis occurrant exempla, rara tamen sunt, si cum antea dictis, topiis concretis contuleris, et rariores adhuc, quae absque manu chirurgica, sua sponte, eiiciuntur. Itaque non inutilem me suscepturum duxi operam, si, quem nuper Viro venerabili, amico colendissimo, accidisse huius generis casum, video, hac prolusione publice commemorem, atque nonnulla, quae tum partes topi, quem mihi artis ope evoluendum dedit, essentielles, tum ortum, atque causas eiusdem spectant, ex eo, quod in promptu mihi est, adderem.

Vir propemodum sexagenarius, ab annis inde triginta, doloribus in diversis corporis partibus alternatim subortis, post perpeffam febrem biliosam, exanthemate cutaneo ilevatum, vexatus erat. Dextrum quidem latus, praecipue hisce incommodis constanter quasi subiectum erat, ut sub costis spuris, in pede, brachio, continui perferrentur dolores, quibus extremitates obflupfactae, officiis consuetis vix responderent. Quo ipso consilio thermas quoque carolinas, non sine fructu, adiit. Pluribus sic annis, absque maiori incom-

commodo peractis, ad dolores hypochondriacos, ante decennium, hemicrania, glandularum submaxillarium dextri lateris, quin ipsarum sublingualium tumores, ne dicam dolores valde intensi, accedebant. Ipsi tamen naturae, in apicibus glandularum tumescentium, atque in gingiua ipsa, membranam albam, quasi crustam formantis, auxilio cruciatus isti insigniter leniebantur. Lingua enim per attritum crustulas has subinde abstersit, quo facto tum tumores, tum dolores per tempus euanuerunt. Neque tamen dentes, imprimis molares, immunes huc vsque, intacti manserunt, sed minutatim et per frustra exciderunt. Accessit ad mala glandularum saliuarium, quibus aegrotus per annorum seriem fuerat assuefactus, ante quatuor annos rheumatissimus, manum dextram atque digitos fortissime inuadens, eorundemque functionem insigniter turbans. Is, medicamentis incassum adhibitis, sua tandem sponte, relicto glandularum tumore, cessauit. Qui ipse tumor, quum ab hoc inde tempore non amplius euanesceret, magnitudine tamen atque dolore per vices iuit; quin ipse oculus dexter, continuo dolore rheumatico in viciniis turbatus, multum de acie sua perdidit. Ante duos denique annos cruciatus, praeiis extremitatum incommodis, sede fixa glandulam dextram sublingualem occupauit; genae, praecipue glandulae istius lateris, intumescunt, adeo vt ipsa deglutitio molestissima esset, et dolor vsque ad collum profunde descenderet. Antequam vero ipse calculus prodiret, per octo fere dies, deglutitio molestissima fuit, tandemque dum prandium fumeret, locus sub lingua, apice albo notatus, duritie insignis, dirupit, et corpusculum durum persentiebatur, quod quum diutius frustra digitis protrudere fuerat conatus, tandem fortiori linguae compressione, integrum prodit. Omnis haec excretio dolorum quidem non plane expers, paucas sanguinis guttulas et copiosum saliuarum profluuium elicuit, vt nec suppuratio, nec alia incommoda, hanc violentam naturalem subsequerentur aperturam. Paucos dies post cum tumore omnis euanuit aegritudinis sensus. Neque hemicrania amplius, neque vllus glandulae tumor, ab hoc inde tempore, quod fere annum est, rediit.

Haec quidem historia, quam ipse aegrotus, diligentissimus obseruator, copiose enarratam, mecum amice communicauit, praecipuam

cipuam huius mali causam in materia quadam, doloribus et tumori-  
 bus arthriticis atque tophaceis gigniendis idonea, quaerendam esse,  
 docet. Frequentibus enim, a longo inde tempore, insultibus rheuma-  
 ticis aegrotus fuerat subiectus, qui varia loca, praecipue glandulam  
 sublingualem dextri lateris, alternando occupauerant, ibique ab qua-  
 tuor inde annis, firmiter haerebant. Cum qua opinione ea quoque,  
 quae analysis chemica diligenter instituta exhibuit, conueniunt. Cal-  
 culus hic salialis pondere sedecim erat granorum, magnitudine fa-  
 bae, quasi hilo praeditus; figura irregulari, altera superficie plana,  
 altera inaequali, duabus protuberantiis instructa; colore albis hinc  
 inde striis notato. Firmitas, propter externam formam spongiosam,  
 non magna videbatur, attamen pistilli quadam opus erat pressione;  
 qua mox in duas dilapsus est partes, quarum utraque singularem cal-  
 culum referebat. Quaelibet pars suo instructa erat nucleo, lamellis  
 circularibus variegatis, albis, fuscis, formata. Terendo mox in pul-  
 uerem subtilem imminutus, et solutione chemica exploratius cognitus  
 est, quantum quidem, ob exiguitatem ponderis, fieri vnquam licuit.  
 Aqua destillata huic pulueri subtili infusa, odor statim surgebat ter-  
 restris, quem, cum fluidum ebulliret, fumi nicotiani odor, quodam-  
 modo nauseosus, sequebatur, id, quod minime mirandum, cum  
 aegrotum fumo tabaci ducendo assuefactum esse, scirem. Aqua post  
 ebullitionem, quaedam suscepisse videbatur, et ipse puluis ad duo pro-  
 pemodum perdiderat grana. Cum solutio haec nec de alcali nec de  
 acido principio signum daret, affusum nitri acidum coagulationem  
 effecit, ex qua lymphaticam partem inesse, haud sine ratione perse-  
 xi. Quae restabant grana 14, acido nitri diluto solui, quo subito  
 effervescentia suborta, et ipsum fluidum colorem flavescentem nactum  
 est. Post lenem digestionem, pauca supererant, nondum ab acido  
 nitri suscepta. Hanc solutionem nitrosam, acido vitrioli albo gutta-  
 tim affuso, mox decompositam, massamque albam praecipitatam vidi,  
 quae post edulcorationem, atque siccationem, selenitem referebat.  
 Quae restabant, siccata, corneam contraxerant crassitiam, colore flauo,  
 luteo, pondere gr. 2, aqua calida infusa soluebantur ex parte, sed  
 maior pars superstes, igne combusta, odorem capillorum incensorum,  
 materiae animali-vegetabili simillimum, disperfit. Quae denique a  
 charta

charta bibula scripta erat particula, oleosam praebuit naturam, cuius forte originem ab ipso tabaci fumo, oleo empyreumatico impraegnato, duxeris. Ex his perspicitur, omnem fere hanc excretionem fuisse calcaream, quod idem I. FR. WEGNER (in Dissert. Calculi sublingualis nuperum quoddam exemplum, Praef. P. IMM. HARTMANNO, Francof. ad Viadr. 1794. habita) in eo, quem descripsit calculo, obseruasse videtur. Similis fere ratio est aliarum concretionum tophacearum animalis corporis, quales nempe lapides cancrorum offerunt. Ista autem terra partim ope lymphae et ipsius gelatinae conglutinata, partim acido phosphoreo nupta, terrestrem ossium naturam sortita est. Hoc enim acidum, propter exiguam, quam ex nitroso et vitriolico mensuris, quantitatem traxerat, vix extricari potuit.

Iam ipsa morbi historia, quin calculi praesentis dissolutio, sententiam, quae humores excretos, ipsamque saliuam ad varias materias morbosas emittendas, apta, eique fini vires naturae medicatrices destinatas esse, asserit, satis comprobant. In saliuam enim, naturaliter constituta, partes aquosae maximum explent pondus, quae reliquas lymphaticas, salinas solutas sibi intermixtas habent. De praesentia terrae ossium, siue de terra calcarea, acido phosphori copulata, quaedam quidem momenta testantur, sed exigua sane inhaeret copia. Hinc status morbidi atque arthritici grauissimum nobis est argumentum. Et enim cum glandulae a longo inde tempore saepius dolore affectae, atque tumidae essent, saliuam natura sua corruptam, quin crustulas illas, quas aeger subinde, linguae auxilio, in apice glandulae tumentis protruserat, naturae fuisse tophaceae, tophulosque facilius ex canali nondum obstructo eiici potuisse, probabile est. Successu vero temporis, impedimento per materiae accumulationem suborto, verus natus est calculus, cuius exempla, obseruationum fide, in ductu hoc frequenter occurrunt. Cuius quidem causa in ipsa huius glandulae sublingualis, atque eiusdem excretorii ductus, Whartoniani, structura, ex anatomicis quaerenda est. Glandula enim haec laxiorem reliquis habet compagem, plura; eaque ampliora recipit vasa, et ex acinis maioribus contexta est. Ipse ductus crassus, longus, et tenuis, ab inferioribus ad superiora decurrens, musculum mylohyoideum et hyoglossum primum interiacet, postea a genioglossa recipitur; ossium

lumine obliquo et arcto instructum. Sic eum in modum primo oblique anteriora versus conuergit, dein ante ostium rursus diuergit. Quae cum ita sint, frequentia tophorum in his glandulis egregie confirmatur. Neque saliuam ipsam hic secretam, ob glandulae structuram, quodammodo differre posse, a vero abhorret. Quod ad calculi situm, obseruatores eundem semper fere in dextro latere reperiri, ad vnum omnes consentiunt, ratione, vt in aliis, quae vnum modo latus afficiunt, malis, nondum cognita. Quis enim, cur herniae inguinales dextrum, et fistulae lacrymales sinistrum occupent latus, dixerit? Structuram forte dixerim, partiumque paullo remotius sitarum, accusandam hic esse conformationem, quae ad genesis mali conferre quicquam possunt. In nostro casu symptomata, quod partim reliquis morbis arthriticis atque rheumaticis, qui certo anni tempore saepe peiores crudelioresque renouantur, commune est, alternabant; situm autem calculi, pro diuersa corporum extrinsecus accedentium ratione, eiusdemque figura externa, explicandum putarem. Dolor, praecipue sensus premens, latius serpens, inter prima mali incommoda, numerandus, mox sub tophi incremento, augetur, lingua in consensum trahitur, sursum, et anteriora versus pellitur, vnde loquendi difficultas, haesitantia, deglutitio molesta, et respiratio grauiori oriuntur. Tumor externe conspicuus his circumstantiis morbi diagnosin reddit faciliorem. Huius generis tumores ranularum nomine insigniuerunt, quae, sicuti ex aliis causis, videlicet ex ostio ductus, vt infantibus solet, occluso, ex debilitate et laxitate harum partium, ex lentore et praua saliuae missione; ita et per huius generis tophos, quibus excretio saliuae non raro impeditur, oriri possunt.

Quod vero ipsam tophi huius excretionem spectat, ea saliuae accumulationi, irritationi per calculi substantiam, in primis linguae actioni, tribuenda videtur, qua nempe factum est, vt ciborum sumptione et masticatione, oris haec pars comprimeretur, et ipsa lapidis excretio linguae efficacia iuuaretur. Salutaris certe, quem natura intendit, hic finis est, quo, si excidit, chirurgiam adiumento esse debere, facile intelligitur.

Sed a scopo nimium ne abducamur, in rem propositam veniendum nobis est, et commendandus

VIR

GLARISSIMVS DOCTISSIMVS,

GABRIEL HOFMANN,

NEU-GERSDORFIO-LVSATVS,  
MEDICINAE CANDIDATVS,

qui, cum per aliquot annos in Lipsiensi Academia rei medicae operam dederit, nuper ad nos venit, vt ab Ordine Nostro fummos in Medicina et Chirurgia Honores, decenter rogaret. Huius itaque vitam, quam suis enarrauit verbis, honoris et officii caussa, hoc loco subnectimus:


**N**atus sum anno huius seculi septuagesimo Neu-Gersdorfii, pago prope Loebauiam sito, Parentibus optimis, quorum solum Patrem GOTTLÖB HOFMANNVM, virum honestum ac rei iudiciariae ibidem praepositum, adhuc superstitem veneror, matre, MARIA ELISABETHA, e gente BRABANTHIANA orta, iam decem abhinc annis viuorum oculis erepta, cuius tamen in me educando cura per illud breue tempus tam singularis ipsique iucunda fuit, vt, ni quouis die beatae illi ex intimo pectore gratias referrem, impietatis recte arguerer. Toto igitur continuandae educationis onere Patri relicto, is quoque assidue curauit, vt primis doctrinae Christianae elementis instructus, aliis quoque bonis artibus iuste imburerer. Quem in finem, vt viam ad solidiores litteras mihi pararem, linguam latinam addiscere non respui, et ex Patris consilio Pastori eius loci, M. ETTMVELLERO, viro maxime reuerendo, traditus fui, cuius diligentiam in me erudiendo adhibitam, praeter alia in me collata beneficia, quin publice collaudem, non dubito. Pueritiam nunc emensus Dresdam me contuli, ibique praeter institutionem publicam, quam Viris celeberrimis, D. HAEHNELIO, DEMIANI, b. WAGNERO et WILDIO debeo, sub auspiciis Exp. KERGELII, nunc munere Chirurgi castrensis superioris Torgaviae non sine laude fungentis, per tres annos Chirurgiae operam dedi, nec non eodem duce Torgaviae in Nosocomio militari varios ac pertinaces obseruaui morbos. Hinc prouocatus Annaburgum in instituto, in quo pueri praesertim militum publice educantur, partes Chirurgi tenui, et moderante D. IVSTI, ibidem Medico-Chirurgo, Viro Experientissimo, morbos, praesertim puerili aetate obre-



obrepentes, quantam viribus valui, duos per annos diligenter curavi. In quo rei medicae qualicunque meo exercitio saepius cum intelligerem, quam late campus artis salutaris pateat, et quo major exinde opera ei sit impendenda, nisi quasi Semi-Medicus hominum saluti quis noxius fieri veller, fontem, ex quo omnes medicinae partes profluunt, adire, animo constitui. Hoc consilio Academiam, quae Lipsiae floret, accessi, ibique anno huius seculi nonagesimo primo, Magnif. BEKIO, tunc fasces Academiae tenente, in numerum civium academicorum sum receptus et praelectionibus, quae sequuntur, interfui. Praeter Philosophiam, quam Magnif. PLATNERVS, et CAESAR, tradiderunt et Historiam naturalem, quam ex ore Cel. LVDWIGH, Patroni mei pie colendi, percepi, scholas botanicas, chemicas, anatomicas, physiologicas, pathologicas, therapeuticas, chirurgicas, obstetricias, HEDWIGH, ESCHENBACHII, HAASII, PLATNERI, LVDWIGH, HEBENSTREITH et FISCHERI frequentavi. Peculiaribus autem praelectionibus, de morbis venereis, senum et infantum, Celeb. DAEHNII et b. KRAVSI non minori studio interfui. Quibus praeceptoribus omnibus, optimis, quantum debeo, sat dignis verbis eloqui, animi grati mei sensus et modestia Eorum prohibet, eorumque merita de uniuersa hac nostra scientia non est, quod laudibus extollam.

Hac ratione studiorum suorum cursum emensus est, Candidatus Noster Clarissimus, quem, ut summos in arte Medica Honores consequeretur ex merito, examine tentauimus, in quo, cum ad quaestiones propositas bene respondisset, nunc in eo est, ut postremum artis et peritiae specimen publice edat. Quem in finem Dissertationis, de cespite vstili, vulgo Turfa, partem chemicam, me Praefide, tuebitur, atque sic, quid in conferendis utrinque argumentis valeat, docebit sollemniter. Vestram ergo in hac sollemnitate, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, COMITES ILLUSTRISSIMI, PROCERES REIPUBLICAE LITTERARIAE GRAVISSIMI, nec non CIVES GENEROSISSIMI, PRAE-NOBILISSIMI, honorificam atque frequentem, humanissimis decentissimisque precibus exoro praesentiam, eumque, quo Nostras festiuitates ornare consueuistis, fauorem; cuius beneficii, Ordini meo, mihi hique tributi, ut me habeatis memorem, obstrictissimumque, maximo, quo possum, opere, efficiam.

P. P. Dom. Septuages. A. C. 1794.





UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA

662.6T530

C001

DE CESPITE VSTILI, VULGO TVRFA, SECTIO 1



3 0112 010234265

